



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXII. Anselmvs Casimirvs Elector XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

nis in id unum conspirantibus suscepitum est, ut si non penitus solo æquare, saltem multis modis & machinis concussam intueri liceret Romanam Ecclesiam, aut Romanum Imperium. Annus Schvnicardo fuit ultimus 1626. Sedit itaque annis 22, una cum Pont. Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII.

LXI. GEORGIVS FRIDERICVS ELECTOR XLV.

Georgius Fridericus de Greiffenclau ad Rhenum ex antiquo & perillustri sanguine natus, suis laude dignissimis gestis eundem maximopere exornavit: vestigiis enim Richardi avunculi sui prioris seculi inter Trevirenses Archiepiscopi præclarè institut ab ineunte ætate, cùm primùm Moguntiæ Canonicus, mox verò Præpositus, dein Wormatiæ Episcopus, & demum Moguntiæ Archiepiscopus est promulgatus. Interpræclara opera Friderici numerandum venit Imperatoris mandatum, vulgo *Edictum Restitutorum* nuncupatum, quo Heterodoxi in Imperio Viri Principes restituere sunt iussi adempta Ecclesiæ jura & bona: unde natus est tumultus inter malæ fidei possessores maximus, jure belli ea sibi debere vociferantes, & ampliora desiderantes. Annis non nisi 3. Moguntinam rexit Ecclesiam Fridericus sub Pontifice Urbano VIII. an. 1629. jam mortuus, cui longius ævum optarunt non modò Viri clarissimi ex Greiffenclauensium genere oriundi, atque inter Moguntinos celeberrimi, sed in Ecclesia & in Imperio omnes boni.

LXII. ANSELMVS CASIMIRVS ELECTOR XLVI.

Anselmus Casimirus Perillustrium Equitum cognomento Wambold de Umstatt dictorum insigne decus, inter totius Germaniæ hostiles strepitus est promulgatus, omne nequa-

quaquam fausto : patiendum namque & agendum fortiter eo ipso
 armorum strepitu dici ritè existimavit sibi, tanto tempore eris Antistes, quanto tempore ignis Martius Romanum turbabit Imperium. An. 1631. à Suecis Moguntiâ Coloniam auffugere compulsus, ex tristibus nuntiis intellectus Aschaffenburgum, Höchstium, Bingum, & Germershemium ab hostibus esse expugnata & occupata. Mox secutus nuntius prioribus tristior, cedentibus Hispanis Moguntiam etiam Suecis esse traditam, cives gravissimis tributis onerari, agrestem plebem Moguntino Archipræsuli subditam durissimè haberi : paucis multa, Heterodoxorum hostium arbitrio universas Moguntini Electoris ditiones esse relictas, referebat. Auno 1635. Moguntiam stratagemate liberaturi Duces Cæsarei & cives, incassum laborârunt tristissimo rei eventu: agrestium enim non nemo Secreti hujus conscius, & à Suecis interceptus, dum dolum aperuit, civium plurimis exitium peperit. Eodem tamen anno restituta Moguntia, anno tandem 1636. reducem ab exilio recepit Archipræsulem, qui eo ex tempore variam tulit belli aleam, nunc his nunc illis pressus hostibus, quos suis etiam intervallis distinxit Mars amicus, siqua tamen possit esse Marti sincera amicitia. *Nulla salus bello pacem depositimus omnes,* creberimè exclamavit Anselmus, inter bella tamen mortuus an. 1647. Francofurti dum de pace Westphalica inter Imperii arbitros etiam ipse deliberavit an. Sedis 18. sub Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X.

LXIII. IOANNES PHILIPPVS ELECTOR XLVII.

Joannes Philippus perantiqui, & hodie per Europam univer-
 sam clarissimi Stematis de Schönborn Lucifer, à primis suis in-
 cunabilis insignia dedit documenta, qua sit origine natus, & cui
 bono, nimirum per Ecclesiam & Imperium maximo sit educatus.

Pa-